



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

10. Solemni natalis &c. Ad Marchionem Brandenburgensem propter
Electionem Imperatoris Sigismundo sufficiens: Anno 1437.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1437.

quæ concernant honorem, commodum & utilitatem vestram, tum propter bonum vestrum, quorum honestis desideriis semper intendimus complacere, tum contemplatione Imperatoris, cujus laudabilis & sincera voluntas semper nobiscum unita fuit, in fide pura, & charitate non ficta, ac pro nobis ac Ecclesiæ statu ea fecit, quæ laudem & gloriam perpetuam mereantur.

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVI. Quinto Idus Martii, Pontificatus nostri Anno VI.

D. de Vinariis.

X.
Ex Arch.
Reipubl.
Genev.

Ad Marchionem Brandenburgensem propter Electionem Imperatoris Sigismundo sufficiendum: An. 1437.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Nobili viro Frederico Marchioni Brandenburgensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Solemnis natalis Domini nostri die certiores facti sumus, claræ memoriæ olim Sigismundum Romanorum Imperatorem Hungariæ ac Bohemiæ Regem viam universæ carnis ingressum esse, & licet mortis dolentesque audiverimus, eum Principem esse sublatum, quem speciali caritate dileximus, quemque rebus Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ affectum esse cognovimus, mœrorem tamen nostrum magna ex parte levavit quæ de illius contritione quam moriens habuit, & quæ de illius placida & hilari aviditate ad suscipiendum Sacro-Sanctum Dominici Corporis Viaticum, & alia Ecclesiæ Sacramenta audivimus; Ejus itaque desiderio prædicta ratione parumper mitigato, in futura tempora in multiplices nomini Christiano, Nobis & Romanæ Ecclesiæ impendentes negotiorum anfractus curas cogitationesque nostras convertimus: De novo enim Imperatore deligendo inuncta tibi & aliis Electoribus cura nos etiam angit atque anxium facit, cum ea consideramus & ante oculos posita cernimus, quæ celi animi, virtutis, prudentiæ singularis, & devotissimi in primis ac deditissimi Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ animi Imperatorem præsertim hoc tempore desiderari faciunt, qui imminentes cervicibus Christianorum infideles reprimere, & propulsare, qui dissidentes multis in provinciis Christianos una nobiscum ad pacem reducere, qui anhelantes ad Ecclesiæ scissuram plerosque impios continere, reprimere, deterere, qui Sedis Apostolicæ Autoritatem, maximum Imperatoris munus, defendere & augere, qui denique Ecclesiam Romanam, cujus erit ipso jure Advocatus, protegere sciat, possit, & pio ac ferventi Zelo id velit, Quamobrem licet non dubitemus, vos omnes ea quæ præditi estis virtute bonam & diligentem adhibebitis tantæ rei curam, & diu multumque pensaturos, quem ad tanta tamque ardua munera obeundum deligatis; Ut tamen id nostris etiam exhortationibus ac suasionibus attentis faciatis, memoramus in primis, ut in facienda electione ipsa unanimes, concordēs & idem ex omni parte sentientes sitis, vos in Domino exhortamur, ea enim est nobis de vestra virtute & prudentia fides atque opinio, ut is quem uniti & concordēs duxeritis eligendum, non nisi excellens, dante gratiam Domino, esse possit, & maximis quæ supra numeravimus in Ecclesia Dei & populo Christiano imminenti negotiis satisfaciatis, sin vero per vestram disensionem, quod avertat Omnipotens, aliquid novi suboriretur disturbii, intolerabiles emergerent labores; Nihil ergo accuratius à vobis fieri oportere censemus, quam ut concordī & unanimi consensu ipsam electionem faciatis, vel si fortasse suberunt causæ,

propter quas in unum eundemque eligendum convenire nequeatis, tutius fuerit electionem ipsam aliquantisper differre, efficiet namque, ut confidimus, longa & matura deliberatio, ut quod acceleratio nimia verabat, dilata consultatio vos omnes unanimes & ejusdem voluntatis reddat. Quare si inspirante Domino cum bona caritate & communi consensu electionem prædictam facieris, rem nobis acceptatissimam, & cui an parem in humanis à vobis expectemus non facile dixerimus, effeceris, erimusque prompti & parati, quod bene, condignè & laudabiliter factum à vobis audiemus, approbare & favoribus prosequi necessariis, ut per ipsius electi adjumentum impendentia populo Christiano pericula avertamus, discordias, bella & inimicitias tollamus, & tum Ecclesiæ Occidentalis unitatem servemus, tum maximè Orientalem, ad quod dante Domino videmur optima jecisse fundamenta, ipsi Occidentali etiam uniamus; Nam hodie in Consistorio generali fecimus Declarationem, cujus copiam mittimus introclusam, & Domino concedente ibimus de proximo ad Ferrariensē Concilium, ubi Deo nostro puram, sinceram & piam voluntatem nostram dirigente ac juvante, ea solidè & cum effectu in prædicto Concilio faciemus serique curabimus, propter quæ Concilium à principio fuerat congregatum, & cum carissimum in Christo Filium Imperatorem Romanorum ac Venerabilem Fratrem Constantinopolitanum Patriarcham cum multis notabilibus Prælatibus nobilibusque aliis propediem expectemus, jamque pars Familiæ prædicti Imperatoris Venetias applicuerit cum una ex nostris Galeis, unionem ipsorum Græcorum cum Ecclesia Occidentali concedente Domino facere speramus, quare velit tua Devotio Oratores & alios omnes tuos qui apud Basileam essent inde revocare, & alios Oratores omnesque qui videbuntur tibi ad prædictum Ferrariensē Concilium mittere, & quantum in te est, postpositis æmulatorum Sedis Apostolicæ & nostrorum qui scandala quærunt in Ecclesia Dei passionibus, ea possint in prædicto Concilio Ferrariensī fieri, quæ gloriam Dei & nominis Christiani exaltationem & Sedis Apostolicæ totiusque Ecclesiæ pacem & honorem respiciant, & per quæ tot olim desiderata seculis Græcorum unio, quam, nisi scandalosi & impii prohibiti sunt, in manibus habere videmur, sequi possit.

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigésimo septimo pridie Calendæ Januarii, Pontificatus nostri Anno septimo.

Jac. de Viterbio.

Ad Nobilem virum Albertum Baviaræ Ducem, ut ad Dietam apud Nurnbergam ordinatam se transferat, & Sedi Apostolicæ faveat: Anno 1437.

XI.
Ex Ibid.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Nobili viro Alberto Baviaræ Duci, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Cum Venerabiles Fratres & dilecti Filii Sacri Romani Imperii Electores nobis per suos Oratores cum instantia supplicaverunt, ut in alium locum ab isto pro Oecumenico Concilio consentire, etiam & ab inceptis processibus contra aliquos, qui Basileæ in scandalum Ecclesiæ remanserunt, abstinere dignaremur, quæ quidem etiam, ut certi reddebamur, petiti erant Oratores carissimi in Christo Filii nostri Alberti Regis Romanorum Illustris. Nosque de Consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium eisdem, prout in Copia præsentibus introclusa continetur, duxerimus respondendum. Tuam Nobilitatem

hortamur